



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancti Hieronymi Stridonensis, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Epistolae In Tres Libros distributae

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1674

XXVIII. Ad Damas. Beatiß. Papa. Postquam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37862

XXVIII. Hieronymus Damaso Pontifici respondens
ad propositas quæstiones, quarum indi-
cat difficultatem.

Beatissimo Papæ Damaso Hieronymus. Postquam epistolam tuæ sanctitatis accepi, confestim accito notariou, t acciperet, imperavi, quoad officium præparato, quod eram voce prompturus, antè mihi cogitatione pingebam. Interim tamen & ego linguam, & ille articulum movebamus, cum subito Hebræus intervenit, deferens non pauca volumina, quæ de synagoga quasi lecturus acceperat. Et ilicò: Habes, inquit, quod postulaveras: mi quæ dubium, & quid facerem, nescientem ita festinus exterruit, ut omnibus prætermis ad scribendum transvolarem: quod quidem usque ad præsens facio. Verum quia heri Diacono ad me misso, ut tu putas epistolam, ut ego sentio, commentarium te expectare dixisti: brevem responsionem ad ea desiderans, quæ singula magnorum voluminum prolixitate indigent, *αὐτοῦ ἰσχυρίας* & tibi confestim discussi duabus tantum quæstiunculis prætermis: non quod non potuerim & ad illas aliquid respondere, sed quod ab eloquentissimis viris, Tertulliano nostro scilicet & Novatiano, Latino sermone sunt editæ: & si nova voluerimus afferre, sit satius disputandum. Certè expecto quid placeat, utram ne epistolari brevitæ sententias tibi velis digeri, an singulorum libros confici. Nam & Origenes in quarto Paulo ad Romanos *ἐκ τῆς αὐτοῦ τῶμα* de circumcissione magnificè disputavit, & de mundis

atque immundis animalibus in Levitico plus differuit: ut si ipse invenire nihil possem, de ejus tamen fontibus mutuarer. Et ut verius loquar Didymi de Spiritu sancto librum in manibus habeo, quem translatum tibi cupio dedicare: ne existimes tantummodò dormire, qui lectione sine stylo somnum putas. Antelatis itaque problematibus, quæ epistolæ tuæ subjeceras, quæ mihi videretur, annexui, veniam postulans, & festinationis pariter, & morarum. Festinationis, quia ad unam lucubratiunculam dicere voluerim multorum opus dierum: Tarditatis, quia alio opere detentus, non statim ad interrogata rescripsi.

*Damasi
sancti.*

XXIX Hieronymus Exuperantio. Hortatur enim militiam seculi relinquere, & perfectam Christi militiam agere, contemptis & relictis rebus omnibus, atque ut idem cum fratre commigret in Bethlehem.

INter omnia, quæ mihi sancti fratris tui, Quintiliani, amicitia præstiterunt, hoc vel maximum est, quod te mihi ignotum corpore, mente sociârunt. Quis enim non diligit eum, qui sub paludamento & habitu militari agit opera Prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vincat interiori homine, qui conformatus est ad imaginem Creatoris? Undè & prior ad officium provoco literarum, & precor, ut mihi occasionem sæpius tribuas rescribendi, quò de cætero scribam audacius. Illud autem prudentiæ tuæ breviter significâsse sufficiat, ut memineris *1. Cor. 7.* Apostolicæ sententiæ: *Junctus es uxori, ne quæ-*